

uno pene verbo tantæ disciplinæ definitio continetur. Non enim tale aliquid hic discendum est, quale quilibet cantores histrionesque noverunt. *M.* Illud superius, quod in omnibus etiam præter musicam factis modus servandus est, et tamen in musica modulatio dicitur, non te moveat; nisi forte ignoras dictionem oratoris proprie nominari. *D.* Non ignoro: sed quorsum istuc? *M.* Quia et puer tuus quamlibet impolitissimus et rusticissimus, cum vel uno verbo interroganti tibi respondet, fateris eum aliquid dicere? *D.* Fateor. *M.* Ergo et ille orator est? *D.* Non. *M.* Non igitur dictione usus est cum aliquid dixerit, quamvis dictionem a dicendo dictam esse fateamur. *D.* Concedo: sed et hoc quo pertineat requiro. *M.* Ad id scilicet ut intelligas modulationem posse ad solam musicam pertinere, quamvis modus unde flexum verbum est, possit etiam in aliis rebus esse: quemadmodum dictio proprie tribuitur oratoribus, quamvis dicat aliquid omnis qui loquitur, et a discendo dictio nominata sit. *D.* Jam intelligo.

3. *M.* Illud ergo quod abs te postea dictum est, multa esse in canendo et saltando vilia, in quibus si modulationis nomen accipimus, pene divina ista disciplina vilescit; cautissime omnino abs te animadversum est. Itaque discutiamus primum quid sit modulari, deinde quid sit bene modulari: non enim frustra est definitioni additum. Postremo etiam quod tibi scientia posita est, non est contemnendum: nam his tribus, nisi fallor, definitio illa perfecta est. *D.* Ita fiat. *M.* Igitur quoniam fatemur modulationem a modo esse nominatam; numquidnam tibi videtur metuendum ne aut excedatur modus, aut non impleatur nisi in rebus quæ motu aliquo fiunt? aut si nihil moveatur, possumus formidare ne præter modum aliquid fiat? *D.* Nullo pacto. *M.* Ergo modulatio non incongrue dicitur movendi quædam peritia, vel certe qua fit ut bene aliquid moveatur. Non enim possumus dicere bene moveri aliquid, si modum non servat. *D.* Non possumus quidem: sed necesse erit rursus istam modulationem in omnibus bene factis intelligere. Nihil quippe nisi bene movendo, bene fieri video. *M.* Quid si forte ista omnia per musicam fiant, quamvis modulationis nomen in ejuscemodi¹ organis magis tritum sit, nec immerito? Nam credo videri tibi aliud esse tornatum aliquid ligneum, vel argenteum, vel ejuscemodi materiae; aliud autem ipsum motum artificis, cum illa toruantur. *D.* Assentior multum differre. *M.* Numquidnam ergo ipse motus propter se appetitur, et non propter id quod vult esse tornatum? *D.* Manifestum est. *M.* Quid? si membra non ob aliud moveret, nisi ut palchre ac decore moverentur, cum facere aliud nisi saltare diceremus? *D.* Ita videtur. *M.* Quando ergo censes aliquam rem præstare et quasi dominari? cum propter se ipsam, an cum propter aliud appetitur? *D.* Quis negat cum propter se ipsam? *M.* Repete nunc illud superius quod de modulatione diximus: nam ita eam posueramus, quasi quamdam movendi esse peritiam, et vide ubi magis habere sedem debeat hoc nomen: in eo motu qui velut liber est, id est propter se ipse appetitur, et

CAPUT II. — *Musica quid sit. Modulari quid sit.*

2. *M.* Sed jam placet nobis de nomine minime laborare: modo inquiramus, si videtur, quam diligentissime possumus, omnem hujus quæcumque est disciplinæ vim atque rationem. *D.* Inquiramus sane: nam hoc totum quidquid est, multum nosse desidero. *M.* Defini ergo musicam. *D.* Non audeo. *M.* Potes saltem definitionem meam probare? *D.* Experior, si dixeris. *M.* Musica est scientia bene modulandi. An tibi non videtur? *D.* Videretur fortasse, si mihi liqueret quid sit ipsa modulatio. *M.* Numquidnam hoc verbum quod modulari dicitur, aut nunquam audisti, aut uspiam nisi in eo quod ad cantandum saltandumve pertineret? *D.* Ita est quidem: sed quia video modulari a modo esse dictum, cum in omnibus bene factis modus servandus sit, et multa etiam in canendo ac saltando quamvis delectent, villissima sint; volo plenissime accipere quid prorsus sit ipsa modulatio, quo

¹ *Distant*, juxta Cl. Ms. A et edd. Er. Lugd. M.

² Sic Ms. B; at Ms. A, *hujuscemodi*. Edd. *ejuscemodi*. M.

per se ipse delectat; an in eo qui servit quodammodo: nam quasi serviunt omnia quæ non sibi sunt, sed ad aliquid aliud referuntur. *D.* In eo scilicet qui propter se appetitur. *M.* Ergo scientiam modulandi jam probabile est esse scientiam bene movendi; ita ut motus per se ipse appetatur, atque ob hoc per se ipse delectet. *D.* Probabile sane.

CAPUT III. — *Bene modulari quid sit, et cur in musicæ definitione positum.*

4. *M.* Cur ergo additum est, bene; cum jam ipsa modulatio nisi bene moveatur, esse non possit? *D.* Nescio, et quemadmodum mihi creptum sit ignoro: nam hoc requirendum animo hæserat. *M.* Poterat omnino nulla de hoc verbo controversia fieri, ut jam musicam sublato eo quod positum est, bene, tantum scientiam modulandi definiremus. *D.* Quis enim ferat, si enotare totum ita velis? *M.* Musica est scientia bene movendi. Sed quia bene moveri jam dici potest, quidquid numerose servatis temporum¹ atque intervallorum dimensionibus movetur (jam enim delectat, et ob hoc modulatio non incongrue jam vocatur); fieri autem potest, ut ista numerositas atque dimensio delectet, quando non opus est; ut si quis suavissime canens, et pulchre saltans, velit eo ipso lascivire, cum res severitatem desiderat: non bene utique numerosa modulatione utitur; id est ea motione quæ jam bona, ex eo quia numerosa est, dici potest, male ille, id est incongruenter utitur. Unde aliud est modulari, aliud bene modulari. Nam modulatio ad quemvis cantorem, tantum qui non erret in illis dimensionibus vocum ac sonorum; bona vero modulatio ad hanc liberalem disciplinam, id est ad musicam, pertinere arbitrandam est. Quod si nec illa bona tibi motio videtur, ex eo quia inepta est, quamvis artificiose numerosam esse fateare; teneamus illud nostrum, quod ubique servandum est, ne certamen verbi, re satis elucente, nos torqueat; nihilque curemus, utrum musica modulandi, an bene modulandi scientia describatur. *D.* Amo quidem rixas verborum præterire atque contemnere, non tamen mihi displicet ista distinctio.

CAPUT IV. — *Scientia cur in musicæ definitione ponitur.*

5. *M.* Restat ut queramus cur sit in definitione scientia. *D.* Ita fiat: nam hoc flagitare ordinem meminimus. *M.* Responde igitur, utrum tibi videatur bene modulari vocem lusciniæ verna parte anni: nam et numerosus est et suavissimus ille cantus, et, uisi fallor, tempori congruit. *D.* Videtur omnino. *M.* Numquidnam liberalis hujus disciplinæ perita est? *D.* Non. *M.* Vides igitur nomen scientiæ definitioni pernecessarium. *D.* Video prorsus. *M.* Dic mihi ergo, quæso te; nonne tales tibi omnes videntur, qualis illa lusciniæ est, qui sensu quodam ducti bene canunt, hoc est numerose id faciunt ac suaviter, quamvis interrogati de ipsis numeris, vel de intervallis acutarum graviumque vocum, respondere non possint? *D.* Simillimos eos puto. *M.* Quid? si qui illos sine ista scientia liben-

ter audiunt; cum videamus elephantos, ursos, aliaque nonnulla genera bestiarum ad cantus moveri, avesque ipsas delectari suis vocibus (non enim nullo extra proposito¹ commodo tam impense id agerent sine quadam libidine); nonne pecoribus comparandi sunt? *D.* Censeo: sed pene in omne genus humanum tendit hæc contumelia. *M.* Non est quod putas. Nam magni viri, etsi musicam nesciunt, aut congruere plebi volunt, quæ non multum a pecoribus distat, et cujus ingens est numerus, quod modestissime ac prudentissime faciunt (sed de hoc nunc disserendi locus non est); aut post magnas curas relaxandi ac reparandi animi gratia moderatissime ab iis aliquid voluptatis assumitur. Quam interdum sic capere modestissimum est; ab ea vero capi vel interdum, turpe atque indecorum est.

6. Sed quid tibi videtur? qui vel tiblis canunt vel cithara, atque hujusmodi instrumentis, numquidnam possunt lusciniæ comparari? *D.* Non. *M.* Quid igitur distant? *D.* Quod in istis artem quamdam esse video, in illa vero solam naturam. *M.* Verisimile dicis; sed ars tibi videtur ista esse dicenda, etiamsi quadam imitatione id faciunt? *D.* Cur non? Nam video tantam valere in artibus imitationem, ut, ea sublata, omnes pene perimantur. Præbent enim se magistri ad imitandum, et hoc ipsum est quod vocant docere. *M.* Videtur tibi ars ratio esse quadam, et si qui arte utantur, ratione uti: an aliter putas? *D.* Videtur. *M.* Quisquis igitur ratione uti non potest, arte non utitur. *D.* Et hoc concedo. *M.* Censesne muta animalia, quæ etiam irrationalia dicuntur, uti posse ratione? *D.* Nullo modo. *M.* Aut igitur picas et psittacos et corvos rationalia esse dicturus es animalia, aut imitationem nomine artis temere vocasti. Videmus enim has aves et multa canere ac sonare quodam humano usu, et non nisi imitando facere: nisi tu aliter credis. *D.* Quomodo hoc confeceris, et quantum contra responsionem meam valeat, nondum plane intelligo. *M.* Quæsoveram ex te, utrum citharistas et tibicines, et hujusmodi aliud genus hominum, artem digeres habere, etiamsi id quod in canendo faciunt, imitatione assecuti sunt. Dixisti esse artem, tantumque id valere affirmasti, ut omnes pene tibi artes periclitari viderentur imitatione sublata. Ex quo jam colligi potest, omnem qui imitando assequitur aliquid, arte uti; etiamsi forte non omnis qui arte utitur, imitando eam perceperit. At² si omnis imitatio ars est, et ars omnis ratio; omnis imitatio ratio: ratione autem non utitur irrationale animal; non igitur habet artem: habet autem imitationem; non est igitur ars imitatio. *D.* Ego multas artes imitatione constare dixi, non ipsam imitationem artem vocavi. *M.* Quæ igitur artes imitatione constant, non eas censes ratione constare? *D.* Imo utroque puto eas constare. *M.* Nihil repugno, sed scientiam in quo ponis; in ratione, an in imitatione? *D.* Et hoc in utroque.

¹ Sic in Cass.; at Lov., quidquid numerositatis temporum. Am. et Fr. habent, quicquid numerositatis, quæ temporum. — Benedictinis adscriptatur Vatic. Cd. M.

² In B., posito. Ms. A, Vatic. Cd., proposito. M.

³ In B., ant. Mss. A et B, at. M.

CAPUT II. — *Sonorum numeri quotuplicis generis, et an quodque eorum genus sine alio esse possit. Primum genus numerorum in ipso sono. Secundum genus in ipso sensu audientis.*

2. *M.* Quamobrem tu cum quo mihi nunc ratio est, familiaris meus, ut a corporeis ad incorporea trans-eamus, responde, si videtur, cum istum versum pronuntiamus, *Deus creator omnium*, istos quatuor iambo- quibus constat, et tempora duodecim ubinam esse arbitreris, id est, in sono tantum qui auditur, an etiam in sensu audientis qui ad aures pertinet, an in actu etiam pronuntiantis, an quia notus versus est, in memoria quoque nostra hos numeros esse faten- dum est? *D.* In his omnibus puto. *M.* Nusquamne amplius? *D.* Quid aliud restet non video, nisi forte interior et superior aliqua vis sit² unde ista procedunt. *M.* Non ego quaero quid suspicandum sit: quare si hæc quatuor genera ita tibi apparent, ut nul- lum aliud videas quod æque manifestum sit, discer- namus ea, si placet, ab invicem, et videamus utrum singula esse sine invicem possint. Nam credo non te esse negaturum fieri posse, ut in aliquo loco aliquis sonus existat hujusemodi morulis et dimensionibus verberans aërem vel stillicidio vel aliquo alio pulsu corporum, ubi nullus adsit auditor. Quod cum fit, num præter illud primum genus, cum ipse sonus hos numeros habet, ullum horum quatuor reperitur? *D.* Nullum aliud video.

3. *M.* Quid iste alter, qui est in sensu audientis? potestne esse si nihil sonet? Non enim quaero utrum habeant illæ aures vim percipiendi si quidquam sonuerit, qua utique non carent si desit sonus: non enim et cum silentium est, nihil a surdis differunt; sed quaero utrum ipsos numeros habeant, etiamsi nihil

² *Fr. et Lov., veritatis imbuti; at Mss. habent cum Am., puritatis.*

³ *Est, juxta Ms. A. M.*

sonet. Siquidem aliud est habere numeros, aliud posse sentire numerosum sonum. Nam et si sentien- tem corporis locum digito tangas, quotieslibet tangi- tur, toties sentitur tactu ille numerus: et cum senti- tur, non eo caret sentiens: sed utrum insit etiam tan- gente nullo, non sensus ille, sed numerus, similiter quaeritur. *D.* Non facile dixerim, carere sensum nu- meris talibus in se constitutis, etiam antequam aliquid sonet: non enim aliter aut eorum mulceretur concin- nitate, aut absurditate offenderetur. Idipsum ergo quidquid est, quo aut annuimus aut abhorremus, non ratione sed natura, cum aliquid sonat, ipsius sensus numerum voco. Non enim tunc fit in auribus meis, cum sonum audio, hæc vis approbandi et improbandi. Aures quippe non aliter bonis sonis quam malis pa- tent. *M.* Vide potius ne ista duo sint minime confun- denda. Nam si versus quilibet modo correptius, modo productius pronuntietur, spatium temporis non idem teneat necesse est, quamvis eadem pedum ratione servata. Ut ergo ipso suo genere aures mulceat, illa vis facit qua concinna adsciscimus, et absurda re- spuimus. Ut autem brevior tempore sentiatur cum colerius, quam cum tardius promitur, non interest aliquid nisi quamdiu aures tangantur sono. Affectio ergo hæc aurium cum tanguntur sono, nullo modo talis est ac si non tangantur. Ut enim differt audire ab eo quod est non audire, ita differt hanc vocem au- dire ab eo quod est alteram audire. Hæc igitur affectio nec ultra porrigitur, nec infra cohibetur; quoniam est mensura ejus soni qui facit eam. Altera est ergo in iambo, altera in tribracho; productior in produ- ctiore iambo, correptior in correptiore; nulla in si- lentio. Quæ si numerosa voce fit, etiam ipsa nume- rosa sit necesse est. Neque esse potest, nisi cum adest effector ejus sonus: similis est enim vestigio in aqua impresso, quod neque ante formatur quam cor- pus impresseris, neque remanet cum detraxeris. Na- turalis vero illa vis quasi judiciaria, quæ auribus adest, non desinit esse in silentio, nec nobis eam sonus infert, sed ab ea potius, sive probandus, sive improbandus excipitur. Quare ista duo, nisi fallor, distinguenda sunt; et fatendum numeros, qui sunt in ipsa passione aurium, cum aliquid auditur, sono in- ferri, auferri silentio. Ex quo colligitur numeros qui sunt in ipso sono, posse esse sine istis qui sunt in eo quod est audire, cum hi sine illis esse non possint.

CAPUT III. — *Tertium genus numerorum in ipso actu pronuntiantis. Quartum genus numerorum in ipsa memoria.*

4. *D.* Assentior. *M.* Attende igitur hoc tertium genus, quod est in ipso usu⁴ et operatione pronun- tiantis; et vide utrum possint esse hi numeri sine illis qui sunt in memoria. Nam et taciti apud nosmet- ipsos possumus aliquos numeros cogitando peragere ea mora temporis, qua etiam voce peragerentur. Hos in quadam operatione animi esse manifestum est, quæ quoniam nullum edit sonum, nihilque passionis infert auribus, ostendit hoc genus sine illis duobus

⁴ *Nisi, juxta Ms. A. M.*

esse posse, quorum unum in sono est, alterum in audiente, quando audit. Sed utrum existeret, nisi adjuvante memoria, querimus. Quanquam si anima hos numeros agit, quos in venarum pulsu invenimus, soluta questio est: nam et in operatione hos esse manifestum est, et nihil ad eos adjuvatur memoria. Quod si de his incertum est, utrum operantis animæ sint; de istis certe quos reciproco spiritu agimus, nulli dubium est, quin et temporum intervallis numeri sint, et eos sic anima operetur, ut etiam voluntate adhibita multis modis variari queant: nec tamen ut agantur, ulla opus est memoria. *D.* Videtur mihi hoc genus sine tribus cæteris esse posse. Quamvis enim pro temperatione corporum varios venarum pulsus, et respirationis intervalla fieri non ambigam; tamen operante anima fieri, negare quis audeat? Qui cursus et si pro diversitate corporum aliis celerior est, aliis tardior; nisi tamen adsit anima quæ id agat, nullus est. *M.* Considera igitur et quartum genus, eorum scilicet numerorum qui sunt in memoria: nam si eos recordatione depromimus, et cum in alias cogitationes deferimus, hos rursus relinquimus velut in suis secretis reconditos, non, opinor, occultum est eos esse posse sine cæteris. *D.* Non dubito eos esse sine cæteris; sed tamen nisi auditi, vel cogitati, non mandarentur memoriæ: et ideo quanquam illis desinentibus maneat, iisdem tamen præcedentibus imprimuntur.

CAPUT IV. — *Quintum genus numerorum in ipso naturali iudicio sentiendi. Ex quinque recensitis numerorum generibus quodnam antecellat.*

5. *M.* Non resisto tibi, et vellem jam querere, quod tandem horum quatuor generum præstantissimum iudices: nisi arbitrarer dum illa tractamus, nescio unde apparuisse nobis quintum genus, quod est in ipso naturali iudicio sentiendi, cum delectamur parilitate numerorum, vel cum in eis peccatur, offendimur. Non enim contemno quod tibi visum est, sine quibusdam numeris in eo latentibus, hoc sensum nostrum nullo modo agere potuisse. An forte ad istorum quatuor aliquod genus hanc tantam vim pervenire arbitraris? *D.* Ego vero ab illis omnibus hoc genus distinguendum puto. Siquidem aliud est sonare, quod corpori tribuitur, aliud audire, quod in corpore anima de sonis patitur, aliud operari numeros vel productius vel correptius, aliud ista meminisse, aliud de his omnibus vel annuendo vel abhorrendo quasi quodam naturali jure ferre sententiam.

6. *M.* Age, nunc dic mihi quinque horum quod maxime excellat. *D.* Hoc quintum puto. *M.* Recte putas: non enim de illis posset, nisi excelleret, iudicare. Sed rursus quero, cæterorum quatuor quod maxime probes. *D.* Illud profecto quod est in memoria; quia video ibi diuturniores esse numeros, quam cum sonant, vel cum audiuntur, vel cum aguntur. *M.* Præponis ergo factos facientibus: nam istos qui sunt in memoria, ab illis aliis imprimi paulo ante dixisti. *D.* Nolle præponere: sed rursus quomodo non præponam diuturniora minus diuturnis, non vi-

deo. *M.* Non te istuc moveat. Non enim sicut æterna temporalibus, ita ea quæ diutius abolerentur, iis quæ breviori tempore transeunt, præferenda sunt. Quia et sanitas unius diei profecto est melior, quam multorum dierum imbecillitas. Et si optanda optandis comparemus, melior est unius diei lectio, quam plurium scriptio, si eadem res uno die legatur, quæ pluribus scribitur. Ita numeri qui sunt in memoria, etsi diutius manent quam illi a quibus imprimuntur, non eos tamen antepone oportet eis quos agimus, non in corpore, sed in anima: utrique enim prætereunt, alii cessatione, alii oblivione. Sed illi quos operamur, etiam nondum cessantibus nobis successione sequentium videntur auferri, dum primi secundis, et secundi tertiis, atque ita deinceps priores posterioribus prætereundo concedunt locum, donec ultimos perimat ipsa cessatio. Oblivione vero plures simul numeri, quamvis paulatim, abstergantur: nam nec ipsi aliquandiu manent integri. Quod enim post annum, verbi gratia, in memoria non invenitur, etiam post unum diem jam minus est: sed non sentitur ista diminutio: non tamen falso ex eo conjicitur, quia non utique pridie quam compleatur annus repente totum evolat: unde intelligi datur, ab illo tempore quo inhæret memoriæ, incipere labi. Hinc est illud quod plerumque dicimus, Tenuiter meniui, cum aliquid post tempus recordando repetimus, antequam plane totum excidat. Quapropter utrumque hoc numerorum genus mortale est. Verumtamen facientes factis jure anteponuntur. *D.* Accipio, et probro.

7. *M.* Jam ergo tria reliqua intuere, et eorum quoque quod sit optimum et cæteris præferendum, edisere. *D.* Non est hoc facile. Nam ex illa regula qua factis facientes oportet anteferre, cogor sonantibus numeris palmam dare: hos enim sentimus audientes, et cum hos sentimus, hos patimur. Hi ergo faciunt eos qui sunt in aurium passione cum audimus: hi autem rursus quos sentiendo habemus, faciunt alios in memoria, quibus a se factis recte præferuntur. Sed hic quia et sentire et meminisse animæ est, non moveor, si aliquid quod in anima sit, alicui quod item in ea sit anteponam. Illud me conturbat, quomodo sonantes numeri, qui certe corporei sunt, vel quoquo modo in corpore, magis laudandi sint quam illi, qui, cum sentimus, in anima esse reperiuntur. Sed rursus conturbat quomodo non magis laudandi sint, cum hi faciant, illi ab his fiant. *M.* Mirare potius quod facere aliquid in anima corpus potest. Hoc enim fortasse non posset, si non peccato primo corpus illud quod nulla molestia et summa facilitate animabat et gubernabat, in deterius commutatum, et corruptioni subiaceret et morti: quod tamen habet sui generis pulchritudinem, et eo ipso dignitatem animæ satis commendat, cujus nec plaga, nec morbus sine honore alicujus decoris meruit esse. Quam plagam summa Dei Sapientia, mirabili et ineffabili sacramento dignata est assumere, cum hominem sine peccato, non sine peccatoris conditione suscepit. Nam et nasci humanitus, et pati et mori voluit. Nihil horum merito, sed excellentissimi-

na bonitate; ut nos caveremus inagis superbiam, qua dignissime in ista cecidimus, quam contumelias quas indignus exceperit; et animo æquo mortem debitam solveremus, si propter nos potuit etiam indebitam sustinere; et quidquid secretius atque purgatius in tali sacramento a sanctis et melioribus intelligi potest. Ergo animam in carne mortali operantem, passionem corporum sentire non mirum est. Nec quia ipsa est corpore melior, melius putandum est omne quod in ea sit, quam omne quod sit in corpore. Credo enim tibi videri verum falso esse præponendum. *D.* Quis dubitaverit? *M.* Num vero est arbor, quam videmus in sonis? *D.* Nullo modo. *M.* At ejus forma in anima fit, hujus autem, quam nunc videmus, in corpore facta est. Quare cum et verum falso, et anima corpore melior sit, verum in corpore melius est quam falsum in anima. Sed ut hoc in quantum verum, non in quantum in corpore sit, melius est; ita illud in quantum falsum, non in quantum in anima sit, fortasse est deterius. Nisi quid habes ad hæc. *D.* Nihil equidem. *M.* Audi aliud quod sit, ut puto, vicinius quam melius¹. Neque enim negabis, quod decet esse melius, quam id quod non decet. *D.* Imo fateor. *M.* At in qua veste decens est mulier, in eadem virum indecentem esse posse, quis ambigat? *D.* Et hoc manifestum est. *M.* Quid si ergo forma ista numerorum decet in sonis, qui allabuntur auribus, et dedecet in anima, cum eos sentiendo ac patiando habet, num magnopere mirandum est? *D.* Non opinor. *M.* Quid ergo dubitamus sonantes numeros atque corporeos præponere iis qui ab ipsis fiunt, quamvis in anima fiant, quæ corpore est melior? quia numeros numeris, efficientes factis², non corpus animæ præponimus. Corpora enim tanto meliora sunt, quanto numerosiora talibus numeris. Anima vero istis quæ per corpus accipit, carendo fit melior, cum sese avertit a carnalibus sensibus, et divinis sapientiæ numeris reformatur (a). Ita quippe in Scripturis sanctis dicitur: *Circumivi ego, ut scirem et considerare et quaererem sapientiam et numerum* (Eccle. vii, 26). Quod nullo modo arbitrandum est de his numeris dictum, quibus etiam flagitiosa theatra personant: sed de illis, credo, quos non a corpore accipit anima, sed acceptos a summo Deo ipsa potius imprimit corpori. Quod quale sit, non hoc loco est considerandum.

CAPUT V. — *Anima an a corpore patiatur, et quomodo sentiat.*

8. Verumtamen ne illud occurrat, arboris vitam meliorem esse quam nostram, quoniam non accipit sentiendo a corpore numeros (nullus enim ei sensus est); diligenter considerandum est utrum revera nihil sit aliud quod dicitur audire, nisi aliquid a corpore in anima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquo modo animam subdere. Nunquam enim anima est corpore deterior; et omnis materia fabricatore deterior. Nullo modo igitur anima fa-

bricatori corpori est subjecta materies. Esset autem, si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo, cum audimus, fiunt in anima numeri ab iis quos in sonis cognoscimus. An aliquid renuis? *D.* Quid est ergo quod in audiente contingit? *M.* Quidquid illud sit quod fortasse invenire aut explicare non possumus, num ad hoc valebit, ut animam corpore meliorem esse dubitemus? Aut cum hoc fatemur, poterimusne operanti corpori et numeros imponenti eam subdere; ut illud sit fabricans, hæc autem materies de qua et in qua numerosum aliquid fabricetur? Quod si credimus, deteriore illam credamus necesse est. Quo quid miserius, quid detestabilius credi potest? Quæ cum ita sint, conabor equidem³, quantum Deus adjuvare dignabitur, quidnam ibi lateat conjectare atque disserere. Sed si hoc propter utriusque aut alterius nostrum infirmitatem minus pro voluntate successerit, vel nos ipsi alias sereniores id investigabimus, vel intelligentioribus investiganda deferemus; vel a quo animo latere patiemur: non tamen ideo ista certiora de manibus debemus amittere. *D.* Tenebo istud inconcussum si potero, et tamen latebram istam non esse impenetrabilem nobis velim.

¹ Editi: *Et puto vicinius. Neque enim negabis*; omisso *quam melius*, quod ex Mss. restitimus.

² Juxta Mss. A: *Et facientes factis*. M.

que genera numerorum, quibus, si placet, imponamus congrua vocabula, ne in reliquo sermone pluribus verbis quam rebus uti necesse sit. *D.* Placet vero. *M.* Vocentur ergo primi judiciales, secundi progressores, tertii occursores, quarti recordabiles, quinti sonantes. *D.* Teneo, et his nominibus utar libentius.

CAPUT VII. — *Numeri judiciales an sint immortales.*

17. *M.* Attende igitur de neeps, et dic mihi, quoniam istorum immortales tibi videantur, an omnes suis temporibus labi atque occidere existimes. *D.* Judiciales solos immortales puto; ceteros video vel transire cum fiunt, vel de memoria oblivione deleri. *M.* Tam certus es de istorum immortalitate, quam de interitu ceterorum; an diligentius, utrum vere hi immortales sint, oportet querere? *D.* Queramus sane. *M.* Dic ergo, cum aliquanto correptius sive productius, dum serviam temporum legi qua simplo ad duplum pedes conveniunt, versum pronuntio, num offendo ulla fraude iudicium sensus tui? *D.* Non omnino. *M.* Quid? sonus ille qui correptioribus et quasi fugacioribus syllabis editur, num potest plus temporis occupare quam sonat? *D.* Qui potest? *M.* Judiciales ergo illi numeri si vinculo temporis in tanto spatio tenerentur, quanto isti sonantes digesti sunt; possentne ad eorum sonantium qui paulo productius eadem iambica lege funduntur, aspirare iudicium? *D.* Nullo modo. *M.* Igitur apparet hos mora temporum, qui iudicando president, non teneri. *D.* Prorsus apparet.

CAPUT VI. — *Inter genera numerorum ordo, et eorum nomina.*

16. *M.* Redi ergo mecum ad propositum, atque responde de tribus illis generibus numerorum, quorum alterum in memoria est, alterum in sentiendo, alterum in sono, quodnam tibi videntur excellere. *D.* Sonum duobus illis postpono quæ in anima sunt et vivunt quodammodo: sed horum duorum quod præstantius iudicem, incertus sum, nisi forte quoniam illos qui sunt in actione, non ob aliud præponendos his qui sunt in memoria dixeramus, nisi quod illi facientes sunt, isti ab his facti; eadem ratione istos etiam qui dum audimus insunt in anima, oportet his antepone qui ab hisdem in memoria fiunt, sicuti et dudum mihi videbatur. *M.* Non puto absurdam responsionem tuam: sed quoniam disputatum est, hos etiam qui sunt in sentiendo numeros operationes esse animæ; quomodo eos ab illis discernis, quos in actu esse animadvertimus, etiam cum in silentio non recordans agit aliquid anima per temporalia spatia numerosum? an quod illi sunt moventis sese animæ ad corpus suum, hi vero in audiendo moventis sese animæ adversus passiones corporis sui? *D.* Accipio istam differentiam. *M.* Quid? in sententia mandumne arbitraris, ut præstantiores illi iudicentur qui sunt ad corpus, quam illi qui sunt adversus passiones corporis? *D.* Liberiores mihi videntur illi qui sunt in silentio, quam hi qui non solum ad corpus, sed ad passiones etiam corporis exeruntur. *M.* Distincta a nobis, et quibusdam meritorum gradibus ordinata video quin-

¹ Editi: *Per temporalia spatia numerorum.* Rejocimus meritorum, ex auctoritate sex manus rii; loc. cit.

si potes. Non enim in corporum formis putas, quas liquido examine æquales nunquam dicere audebis: aut in temporum intervallis, in quibus similiter utrum sit aliquid aliquanto quam oportet productius vel correptius quod sensum fugiat, ignoramus. Illam quippe æqualitatem quero ubi esse arbitreris, quam intuentes cupimus æqualia esse quædam corpora vel corporum motus, et diligentius considerantes eis fidere non audemus. *D.* Ibi puto quod est corporibus excellentius; sed utrum in ipsa anima, an etiam supra animam nescio.

35. *M.* Si ergo queramus artem istam rhythmicam vel metricam, qua utuntur qui versus faciunt, putasne habere aliquos numeros, secundum quos fabricant versus? *D.* Nihil aliud possum existimare. *M.* Quicumque isti sunt numeri, præterire tibi videntur cum versibus, an manere? *D.* Manere sane. *M.* Consentendum est ergo, ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari? *D.* Cogit me ratio consentire. *M.* Quid? hanc artem num aliud potas quam affectionem quandam esse animi artificis? *D.* Ita credo. *M.* Credisne hanc affectionem etiam esse in eo, qui hujus artis imperitus est? *D.* Nullo modo. *M.* Quid? in illo qui oblitus est eam? *D.* Nec in illo quidem, quia et ipse imperitus est, etiamsi fuit peritus aliquando. *M.* Quid? si eum quisquam interrogando commemoret? remigrare ad eum putas illos numeros ab eo ipso qui interrogat; an illum intrinsicè apud mentem suam movere se ad aliquid, unde sibi quod amiserat redhibeatur? *D.* Apud semetipsum puto id agere. *M.* Num etiam quæ corripitur syllaba, quæve producat si penitus excidit, commoveri eum interrogando arbitraris; cum hominum prisco placito et consuetudine, aliis minor, aliis major mora syllabis data sit? Nam profecto si natura vel disciplina id fixum esset ac stabile, non recentioris temporis docti homines nonnullas produxissent quas corripuerunt antiqui, vel corripuissent quas produxerunt. *D.* Puto et hoc posse, quoniam quantumvis quidque excidat, potest interrogatione commemorante redire in memoriam. *M.* Mirum si opinaris, quovis interrogante posse te recordari quid ante annum cœnaveris. *D.* Fatcor me non posse, nec illum jam existimo de syllabis posse, quarum spatia penitus oblitus est, interrogando admoneri. *M.* Cur ita, nisi quia in hoc nomine quod *Italia* dicitur, prima syllaba pro voluntate quorundam hominum corripiebatur, et nunc pro aliorum voluntate producit? Ut autem unum et duo non sint tria, et ut duo uni non duplo respondeant, nullus mortuorum potuit, nullus vivorum potest, nullus posterorum poterit facere. *D.* Nihil manifestius. *M.* Quid si ergo isto modo quo de uno et de duobus apertissime quærivimus, cætera omnia, quæ ad illos numeros pertinent et ille interrogetur, qui non obliviscendo, sed quia nunquam didicit, imperitus est? nunc cum censes similiter hanc artem exceptis syllabis posse cognoscere? *D.* Quis dubitaverit? *M.* Quo igitur se etiam istum moturum putas, ut menti ejus imprimantur hi numeri, et illam faciant affectio-

CAPUT XII. — *De numeris spiritualibus et æternis.*

34. Excipit autem memoria non solum carnales motus animi, de quibus numeris supra jam diximus; sed etiam spirituales, de quibus breviter dicam. Quo enim simpliciores sunt, eo verborum minus, sed plurimum serenæ mentis desiderant. Æqualitatem illam quam in sensibilibus numeris non reperiebamus certam et manentem, sed tamen adumbratam et præterentem agnoscebamus, nusquam profecto appeteret animus nisi alicubi nota esset: hoc autem alicubi non in spatiis locorum et temporum; nam illa tument, et ista prætereant. Ubi ergo censes, responde, quæso,

¹ A plerisque MSS. absunt isthæc verba: *quam haberephantasias vel phantasmata pro cogitatis, quas cognoscuntur per acutum.*

